

Mittheilungen und Anhang.

Eine bisher noch unbekannte Urkunde zur älteren Geschichte Preussens.*)

Schreiben des Papstes Honorius III. an das Kreuzheer in Preussen.

Dat. 1221. Januar 17. im Lateran.

Universis cruce signatis versus Prusianos. Cum is, qui est seminator p[ro] consilii, promptum inspiraverit vobis affectum, quo eius vos devote[n]tes obsequiis commune certetis pro fide christiana certamen: summopere studere debetis, ut, de divina tantum gratia, non autem de vestris viribus aut meritis presumentes, de quacunque felici peregrinationis vestre successu non vobis sed nomini domini gloriam tribuatis, ne, quod absit, per elationis semen unquam segetes laborum vestrorum in zizania pullulent et vestri triticum itineris in paleas evanescat. Quocirca universitatem vestram monemus et per unigenitum dei filium obsecramus, quatenus oculis ad divine miserationis gratiam semper intentis eos, quos ex paganis, dextera domini ministerio vestro faciente virtutem, captivos habetis, aut auxiliante dei misericordia eritis habituri, cum in illos, quasi bellorum vobis prosperum attribuatis eventum, non debeat vel expediat deservire, venerabili fratri nostro . . . Prutenorum episcopo resignetis, ut ex eis forsitan eruditus in fide, qui ad agnitionem venire desiderant veritatis, christianus et orthodoxa possit religio propagari, et per eorum concambium dei consulatur athletis, quibus propter sua vel aliorum peccata contingere, quod absit, permittente deo posset adversitas preliorum. Nec quemquam moveat, quod tales, contra quos christianum indictum est prelium, reserventur; nam et Gabaonitas, qui de mandato domini morti debuerunt adici, Josue reservavit ad vitam, necem eorum in servitutis obprobrium commutando. Datum Laterani XVI Kalendas Februarii, pontificatus nostri Anno quinto.

*Aus den Regesta originalia Honorii III An. V. Tom. III. ep. 351
im vatikanischen Archiv zu Rom.*

*) Durch ein kurzes bisher stets übersehenes Citat in Raynaldi Annales eccl. ad a. 1221 nr. 40 aufmerksam gemacht, benutzte ein Freund der Altpr. Monatsschrift, der vor Kurzem eine Reise durch Italien machte, die Gelegenheit sich in Rom den Wortlaut dieser in Preussen noch unbekannten Urkunde zu verschaffen, was ihm auch durch das freundliche Entgegenkommen der Herren Archivbeamten möglich wurde. Durch die Publikation der uns überlassenen Abschrift glauben wir den Freunden der preussischen Provinzialgeschichte einen Dienst zu leisten.